


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO.

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis tertio Februarii, anni M. D CC. XXXV.

M. JOSEPHO DE JUSSIEU, Doctore Medico, Præſide.

An Fœtui ſanguis maternus alimento?

I.



GENERARI dicitur Animans, ex quo nutriri incipit : ut in nutricatione poſita ſint haud minùs Animantis initia, quàm incrementum atque perfectio. Verùm alia nutricationis ratio in primordiis, alia in ætate ſubſequenti. Omnem alimenti materiam in Fœtûs Venas ex Matre transfundi, omnibus æquè notum eſt ; at non ita multis animadverſum, quid, præter inſolitas quibus commeat vias, Fœtûs alimentum ab Adulti alimento diſcrepet. Diſcriminis illius tria ſunt capita ; qualitas, quantitas, & motus. Nutriendi corporis qualitas conſimilem deſiderat qualitatem in ſucco nutrituro : quàm mollia ac tenera ſunt Fœtûs alendi ſtamina, tam mites, delicatas, ductileſque decet eſſe alibiles particulas. Maximâ verò copiâ alibilem ſuccum affluere

oportet qui ex tantulo puncto Fœtum in eam molem augeat, ut ratio, quâ Animans per novem menses crescit in Utero, immane quantùm superet rationem, quâ per reliquum vitæ cursum ad justam magnitudinem pervenit. Motu tandem, nisi quàm lenissimo, non fas est in compagis adeò teneræ recessus succum nutricium immitti.

I I.

HARUM conditionum nulla deest lacteo succo, quo turget Uterus à conceptu. Non citiùs Aurâ seminali fœmineus sanguis afflatur, quàm Uteri contextus mirum in modum immutari occipiat. Tum genitale arvum emolliri, fibræ laxari, meatus peculiares magis ac magis dilatari, quibus serum lactescens à sanguine secernatur. Is nimirum liquor est, quo stillant ex Uteri fundo Arterioso-Lymphaticorum vasorum Appendiculæ vera eorum *Excretoria* vasa; stillantem verò membranæ, modò Ovi nunc Fœtûs, cæcis quasi poris initio combibunt; Placenta deinde Radiculis, iisdem quibus Ovarii calycem sugebat, in Uteri Appendiculas actis manifestè trahit, ex Radiculis per Arterioso - Lymphatica vasa, ubi Radiculæ exonerantur, in Venæ Umbilicalis ramulos transiturum. Ibi siquidem minutatim Fœtûs sanguini affusus, atque unâ cum illo per innumeros mæandros circumvectus subigitur, elaboratur, haud segniùs quàm in Pulmone chylus ex quo *Subclaviam* appulit: tum subactus pleno Venæ Umbilicalis alveo committitur, inde Cordi ac Fœtûs Arteriis, ex cruoris sinu in omnes alendi corpusculi partes erogandus. Talem liquorem genuinum esse Fœtûs alimentum negaverit is solus qui rationi simul & sensibus nuntium remiserit. In plerisque Animalibus Uterus Mammæ instar succo illo turgidus conspicitur: in Ruminantibus præsertim tam ex Uteri Cotyledonibus quàm ex Chorii Carunculis plenis manibus emulgetur. Porro quid in illo desiderari potest, ut alimenti munia perfectè impleat? Flos est delibatus sanguinei cremoris, tantò purgatior ipso Mammatum lacte quantò Fœtus tenerior est Puero lactente. Suppetit deinde quantùm satis sit, majori in dies copiâ pro Fœtûs incremento in Uterum confluens, ipse aliàs totus fermè quantus est alibilis. Denique ut humores Lymphatici, quod genus est succus ille nutricius, moderato cursu feruntur, ita ille sensim sine sensu, ut par est, in Fœtûs Venas illabitur.

//placenta

I I I.

IN sanguine materno quæras frustra quæcumque in lacte uterino obvia sese dant. Atque ut eodem ordine aggrediamur, viæ nullæ apparent, quibus sanguis ille in Fœtum ab Utero commeet. Profectò ex parte Fœtûs, ne minima quidem hiant vasa in Placentæ sanæ atque maturæ superficie, quibus, vel si validè comprimas, modò illæsam tractes, sanguinis guttam possis elicere: ex parte verò Uteri, Appendiculæ illæ Arterioso-Lymphaticorum jam memoratæ, quæ in statu naturali humore limpido manant, tempore Graviditatis liquore lacteo oppletæ deprehenduntur; per quas tamen in Muliere sanguis antea quot-mensibus erumpebat, denuo post Partum erupturus, at in Gravida bene valente nunquam erumpendus: quippe tunc Uteri moles supra modum distenta sanguini ampliore copiâ affluenti facilem regressum præbet, ipsa verò Menstruorum tempore & Puerperii contractior aut in se subsidens sanguini in venosis finibus stagnanti soliti cursûs vias præcludit. Proinde commentitia est Arteriarum & Venarum Matris Anastomosis cum Venis & Arteriis Fœtûs: concesso etiam illam fieri posse, nulla certè est, dum Fœtus aliquot diebus à conceptu omni nexu solutus Utero compre-

henditur ; tuncque ſanguinem nutricationis causâ in Uteri ſinum priùs effundi neceſſe foret quàm Placentæ vaſorum oſtia ſubiret ; quod quidem agnoſcere reformident vel ipſi hujus ſententiæ patroni. Neſcio autem an meliùs expedirent cur Ovum , ſi fortè , quod viſum eſt, à Tubâ deerrans in Abdominis cavum delabitur , Peritonæo adhæreſcit ibique Fœtus infelix radices agit : ſanguinem hîc loci ex vaſis hiantibus ſtillantem non reperient ſanè , ut putant in Utero ſe reperiſſe ; at nobis ultro occurrunt ubique Arterioſo - Lymphaticorum Appendiculæ : eæ ſiquidem per membranarum omnium ſuperficiem tanquam fonticuli ſcatent, unde illa perpetuò madeat , unde etiam Ovum fortuitò adventans alimoniam Fœtui explicando ſufficientem exſugat. Quàm igitur veriſimillimum eſt Radiculas Ovi, quòcumque illud delatum fuerit , in Appendicularum quæ nuſquam deficiunt oſtia ceu in vaginulas inſinuari ibique recondi ; nec aliter , niſi per quamdam , venia ſit verbo , *invaginationem* Fœtum cum Matre conjungi. Jam verò quàm à ratione alienum eſt ſanguinem ſulphure & ſale ferventem , qualis eſt maternus , in Fœtûs corpuſculum infundi. Profectò alibiles partes talis liquoris alveo convectæ , non tam alendo corpori profuturæ, quam tot heterogeneæ præpollentes nocituræ eſſent. Præpoſterè etiam Natura videretur egiſſe , dum ſanguinem in Fœtum pro alimento induceret, quem Utero excluſum chylo per *Subclaviam* infuſo cibat , brevi certè periturum ſi chyli loco ſanguinem in illum transfunderes. Nec quantitas materni ſanguinis , ut ut non deficiat , tam inſigniter augendo Fœtui par eſſet, cùm ille pauciore ſui parte alibilis cenſendus ſit ; recrementis verò iis abundet, quæ per incernicula Fœtûs majori copiâ ſecedere deberent , quàm re ipsâ ſecedunt : quandoquidem quicquid purgamenti ſupereſt de humore quo per novem menſes alitur Fœtus humanus v. g. id omne veſicâ & inteſtinis facilè contineri videmus. Poſtremò , ſi quid valet decantata illa fluida inter & ſolida æquilibritas , annon ſanguinis motus ex Uteri Arteriis in Fœtûs Venas Corde materno impulſi violentior eſt quàm ut tenellulæ fibræ obſiſtere valeant? An etiam Corculum Fœtûs impetu ſanguinis à Corde materno vibrati jugiter quaſſatum, ſui juris motum retinere poſſet, quin rhythmum validioris Cordis ſequi cogeretur ?

IV.

RATIONIBUS validiſſimis , ſi quid judicii noſtri eſt, ſententia de ſanguine materno oppugnata fuit ; illas tamen experimento anatomico cumulabimus , eoque inter alia ut facillimo ita liquidiſſimo , ne qua veritatis lucem refugientibus latebra ſuperſit. Canis gravida inſtante partu vaſis *ſanguiferis* ſectis ſanguine exhauritur , ut vix ſemuncia , idque proximè Cor , ſit reliqua ; tum aperitur Uterus qui exſanguis omnino eſt , Placentæ Catulorum eximuntur , quod levi tactu facias , & apertis membranis Catuli reperiuntur ſanguine pleni, etiamſi dimidiam horam à Matris morte membranas aperias. Valeant igitur quæcumque temerè obſervata huic experimento repugnaverint : ſi quis Fœtus exſanguis occurrerit in Muliere quæ ex alto lapſa ſanguinem omnem profuderit , vaſe aliquo Placentæ rupto putandum eſt ſanguinem profluxiſſe , cujus veſtigia obſervatorem fefellerint , parum , ut fere fit, ad ea attentum quæ præjudicatæ opinioni adverſantur. At ſi Viris in Re Anatomica principibus quid ſimile contigerit vidiſſe , unde allatæ obſervationi firmamentum accedere opinentur , per fidem ac peritiam quâ cæteris præſtant illos obteſtamur omni velint diligentiâ perſequi vias quibus ſanguis Fœtûs foras eruperit, non ita procul , ſi non erupit , quò ſe receperit forſan inventuri. Quicquid id eſt ,

obſervatio cautè an incautè inſtituta, quam caſus tantùm obtulit, nec niſi rarò iterum offeret, non habet ictum quo minimùm labefactet experimenti auctoritatem quod pluries repetitum eâdem ratione ſemper ſuccedit. Quin experimenti compendium facimus? Lanios adeamus; ab iis quotidie Pecudes gravidæ jugulantur; aperiantur Uteri etiam perendino die; Fœtus earum ſanguine plenos conſpiciemus.

V.

FOETUS, totum in toto, Animal in Animali, partibus Matris annumerandus minimè eſt: mortuæ Matri ſæpe enim ſuperſtes, communi vitâ nequaquam ei conjungi fidem facit. Sua cuique eſt vita, quippe ſuus cuique ſanguis ab ingenitâ cruoris guttâ, unde & in Molis ſanguinis origo. Verùm ſi ſanguine eodem uterque animaretur, jam vitæ communitate in unum coaleſcerent duo, ut ſimul interitura, ita nullo tempore à ſe invicem fortè divellenda: quò enim vaſorum *ſanguiferorum* per Anaſtomoſin conglutinatio magis inveteraſceret, eò ægriùs divelleretur: ſic nunquam Graviditati Partus ſuccederet; quippe qui non ſolum à præſenti conglutinatione ſemper impediretur, ſed etiam unde cieretur cauſam non haberet. Nam in eo ipſo prima Partûs ratio poſita eſt; quod maternus ſanguis Fœtu excluſus vaſa Uteri ſub finem Graviditatis ita diſtendit, ut inde vaſcula quibus ſuccus lacteus commeat à Matre ad Fœtum comprimantur, Placentæ radiculæ contabeſcendo evaginentur, ſicque alimentum Fœtui ſubripiatur. Quid plura? dicendorum nunquam foret finis, cùm veritatis argumenta, ut depromuntur, majori ſemper copiâ ſubeant. Analogiam tamen ex Oviparis petitam omittere non licet: hâc ſolâ ſi non vincitur, res ſaltem aliunde demonſtrata mirè illuſtratur. Etenim cùm nihil Ovipara inter & Vivipara videamus intereſſe, niſi quatenus in his alimentum Fœtui per partes in momenta ſubminiſtratur, in illis verò totum ſimul & ſemel in Ovo congeritur; naturalis eſt conſecutio alimentum illud, ut in Oviparis nemine refragante, ita in Viviparis alienum à ſanguine prorſus eſſe. Sic tandem ductis à ratione, ab experimentis, & ab analogiâ argumentis jure concluditur

Non ergò Fœtui ſanguis maternus alimento.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Guillelmus Joſephus de l'Eſpine.	*M. Nicolaus le Roy de S. Aignan.*	*M. Jacobus-Benignus Winſlow, Regiæ Scientiarum Academiæ, Societatiſque Regiæ Berolinenſis Socius, Teutonicæ Linguæ Regius Interpres.*
M. Ludovicus-Hyeronimus Coſnier.	*M. David Vaſſe.*	*M. Antonius Pepin, Regis Conſiliarius & in Portu Breſtenſi, Medicus Primarius.*
M. Ludovicus-Joannes le Thieullier, Regis Conſiliarius, & in majori Conſilio Medicus ordinarius.	*M. Andreas-Joſephus Seron.*	*M. Petrus Azevedo.*

Proponebat Pariſiis, BARTHOLOMÆUS MURRY, Laonenſis Hibernus, Baccalaureus Medicus, A.R.S.H. 1735. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1735.